

(1202) 1203, gener, 22

*Pere Ponç de Púbol defineix un mas que té per Sant Daniel, situat a Púbol, amb reserva d'aliments, en cas que torni d'un viatge que es proposa d'emprendre.*

ASD núm. 65, perg. orig., 85 x 200 mm.

Sit notum cunctis quod ego Petrus Pontius de Pubelo, [spontane]a uoluntate et nemine cogente, ob remedium anime mee et parentum meorum dono ecclesie Sancti Danielis et ibi degentibus in manu et pot[es tat]e Agnètis eiusdem ecclesie abbatisse et conuentus eius meum mansum cum omnibus suis pertinentiis et tenedonibus sibi quocumque modo uel per quosque seniors pertinentibus et oliuariis et aliis arboribus omnium generum que habeo et teneo per ecclesiam Sancti Danielis et per aliquos seniors in parroechia Sancti Ysidori de Piro, in uilla de Pubelo et ubique, ita scilicet quod si in hoc itinere quod cupio facere obiero uel alio loco, si infantes mei ad meum habitum defuncti fuerint, habeat predicta ecclesia omnem predictum honorem per liberum et franchum alodium perpetuo. Preterea si rediero et infantes mei mortui fuerint, similiter habeat prenominata ecclesia prenominatum mansum et omnem alium honorem mihi pertinentem, et donet mihi iamdicta ecclesia cibum et potum ut uni clericorum eiusdem ecclesie et .x. solidos pro uestibus dum uixerat singulis annis, et sic firmiter habeat iamdicta ecclesia predicta omnia et ultra hanc uoluntatem de cetero uenire non ualeam.

Actum est hoc .XI. kalendas februarii anno Domini .MCCII.

Sig+num Petri Pontii, qui hoc firmaui firmarie rogaui. Sig+num Pontii de Ferigola. Sig+num Petri Iohannis. Sig+num Petri de Ollina. Sig+num Guilielmi de Ulmo. Sig+num Dalmatii.

(*s. man.*) Raimundus presbiter, qui hoc rogatus scripsi die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 168-169